



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 43. S. Petri Damiani Scripta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

ante Pascha & ante Natalem Domini Sæculum XI
tres dies sine ullo cibo sustinebat. Dor- A.C. 1072
miens mattam junceam premebat, sub
officio Divino nullo scamno innitebatur.
Laborare manibus non dedignabatur,
nam cochlearia lignea a se ipso confecta
amicis munuscula dabat. carm. 183.

184. 185.

§. XLIII.

S. Petri Damiani scripta.

Sancti Petri Damiani nobis supersunt
Scripta quamplurima, videlicet, cen-
tum quinquaginta octo Epistolæ in octo
Libros divisæ, pro conditione virorum
ad quos datæ sunt. Sexaginta quinque
Sermones, quinque Sanctorum Vitæ, ni-
mirum S. Odilonis Cluniacensis, S. Mau-
ri Episcopi Cæsenatis, S. Romualdi, S.
Rudolphi Eugubini, & S. Dominici Lo-
ricati in eodem Sermone, Sanctæ Lucil- Baro. in
læ & S. Floræ Virginum & Martyrum, de Mart. 29.
quibus nihil satis constat. Habemus et- Jul.
iam Petri Damiani sexaginta Opuscula,
quæ inter ejus Scripta præcipuum locum
merentur, tandem etiam aliquot Preca- Tillemont.
tiones, aliquot Hymnos, & non nullato. IV. p. 14.
carmina. In ejus Scriptis magnus zelus
conservandi morum puritatem & Disci-
plinæ Ecclesiasticæ rigorem, atque etiam
vasta eruditio pro illius Sæculi conditio-
ne dispicitur; sed argumentis vis con- v. Opusc. 32.
grua deest, affert enim sapissime Textus 44. 60.

K 2

S.Scri-

Sæculum XI. S. Scripturæ allegorice explicatos, apparitionem mortuorum, aut Historias prodigiosas magis quam verisimiles. *Stilus* vero, licet longus & perplexus, tamen vehementer movet.

A.C. 1072.
v. *Opusc.* 33.
34. &c.

§. XLIV.

Ritus Ecclesiastici.

Præter Opuscula, quorum antea memini, notatu præ ceteris digna videntur sequentia. Tractatus de Horis Canonice, in scriptus cuidam Optimato Laico, cui præscribit eas quotidie recitare, quod omnium Christianorum Officium id exigeret. Septem horas commemorat diurnas, Matutinum seu Laudes, est enim una & eadem Hora, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, & de nocte Vigilias seu Nocturnos, quibus populum non interesse dicit. Sive alia divisione Horas quatuor nocturnas numerat, nempe Vesperas, Completorium, Nocturnos, & Matutinos, ceteras vero quatuor diei tribuit. Notat diversitatem Officii Clericorum & Monachorum, qualem hodieque videmus, item Symbolum S. Athanasii ad primam nuper fuisse adjectum. Optimatem, cui scribit, hortatur, ut nunquam præcepto Horas recitandi desit, ne quidem iter faciens equo vectus, aut quocumque negotio occupatus.

c. 2.

c. 6.

c. 2. 4. 5.

c. 3.